

A2^r

GEORGIVS FA-
BRICIVS CHEMNICEN-
SIS MATTHIÆ MARCO
Dabercufio Iudi Suerinen-
fis Magistro,
S. D.

POETAM EPICHA-
rum, vt Ariftoteles ait,
antiquiffimum: vt Plu-
tarchus teftatur, Pytha-
goræum, multa tradi-
diffe ad puerilem æta-
tem idonea, in eius legitur Epitaphio:
quod quicunque mortuo pofuit, ad
librorum Epicharmi lectionem alios
ftuduit inuitare. Ifum autem, tanti
præceptoris inftitutione fapientem, &
moribus honeftum, & oratione poli-
tum fuiſſe colligimus. tales enim pue-
rili educationi conueniunt: & ad eam
non alij, quam eruditi, morati, & ele-
gantes viri funt adhibendi. Epichar-
mi imitatoreni fuiſſe Plautum, Hora-
tij teftimonio notum eſt: & Siculo
Romanum non fuiſſe inferiorem, fa-

A2^v

EPISTOLA

cile nobis perfuademus. Varronis enim & Ciceronis de ingenio, vrbaſ nitate, elegancia Plauti in primis honorifica extant teſtimonia: quem etiam alij quidam linguæ Romanæ principem, & eloquentiſſimum antiquorum dicere non dubitauerunt. Sermo eius, Aelij Stilonis ſententia, puritate Mufarum ſimilimus: ioci non ſale nigro Momi, ſed candido Mercurij conſperſi: ſententiæ cum grauitatis, tum lepôris habent plurimum, eæque ſeu doctrinam ſeu reprehentionem continent, vel ſummo Philoſopho ſunt dignæ. Ex huius Comœdijs vnam hoc tempore partem, quæ ſermonis proprii & Romani eſt, delegimus: idque puerorum gratia, quibus neque integri auctores proponi poſſunt, ob ætatis imperitiam: neque negligi tamen debent, propter ſuſcepti à nobis muneris rationem. Ad prima enim illa de Dei cognitione, deque animorum ſalute præcepta, quæ animis teneris ac rudibus, in ſcholis Chriſtianis inſtilantes,

A3^r

DEDICATORIA.

lantes, Catechismum nominamus.
proximè adiungendæ exercitationes
sunt, quibus lingua ipsorum balbuti-
ens, optimis purissimisque verbis im-
buatur & conformetur. Ad humani-
tatem autem virtutemque stabiliendam,
& ad commune Reipub. quasi ædifi-
cium, dum auxilij apportemus ali-
quid, etiam si labor obscurus sit, mini-
mè tamen eum refugimus: & vt in fa-
brorum aut artificum numero non li-
mus, inter cementarios tamen atque
baiulos ipsos non fastidimus adhibe-
ri. In hac vero ardenti atque optima
voluntate, cum deprauata hominum
iudicia, tum literarum atque veritatis
contemptus, institutionem nobis red-
dunt difficilimam. Quamobrem,
quod sæpe facimus, studiosos contra
temeritatem & mendacium instruen-
dos monendosque arbitramur: tum con-
firmandos præterea, ne vlla molestia
aut acerbitate despondentes animum,
deferant officium suum. Retinenda
ante omnes contra opinionem impe-

A3^v

EPISTOLA

ritorum in ludis literarijs hæc fen-
 tentia est vera, antiqua, necessaria:
 Nihil scilicet in orationem improprij
 aut inquinati admittendum. Vt enim
 in vestitu populari, sic in communi fer-
 mone plurimum interest, ut apta &
 habilia omnia sint, & consuetudini ho-
 nestæ consentanea. Militum vestes,
 quibus nunc femora tegunt, velis nau-
 tarum esse videmus laxiores: & ita
 difficillas atque laceratas, ut Abfyrty
 aut Marfyæ corpus (quod in fabulis
 est) mutilum laniatumque magis non
 fuerit: quàm cum in castris Turcicis
 militum captiuorum corpora ad ve-
 stium formam fuerunt diffecta. Tali-
 bus similes sunt, qui oratione in com-
 posita & diffoluta, & absurda loqua-
 citate delectantur, quam insuper de-
 formant leuitate atque ineptijs: quos
 ftultorum militum fortunam experiri
 par erat, ut ære diruti, capitæe dimi-
 nuti, è scholis perpetuò relegarentur
 ad barbaros. Notis rerum proprijs,
 & cura verborum neglecta, error &
 obfcu-

A4^r

DEDICATORIA.

obſcuritas naſcitur: in oratione au-
 tem, in qua labefactatur veritas, &
 implicatur intelligentia, quid loci re-
 linquitur prudentiæ? hac ſublata,
 quid omnino inter hominem garrien-
 tem, aut rudentem aſinum eſt diſcri-
 minis? Veterum ſapientum hoc ſtu-
 dium ſemper fuit, vt cùm perſpicuè &
 diſfertê, tum etiam cum ornatu animi
 fui cogitata efferrent. Academicorum
 & Peripateticorum libri ſunt in mani-
 bus, qui id teſtificantur: ſunt item Me-
 dicorum: ſunt veterum Iureconſulto-
 rum apud Romanos: quorum erudi-
 ta exultaque præclaris ſententijs & ver-
 bis lectiſſimis ſapientia fuit. Epicu-
 reos odio merito proſequimur, qui vt
 in vita leuiore ac diſſolutiore, ita
 quoque in ſermone inquinatiores fue-
 runt. Recentiorum noſtrorumque ex-
 empla, quæ propemodum infinita
 ſunt, proferre ſi vellem, nimis multos
 omnium diſciplinæ ac profeſſio-
 num homines offenderem, qui perti-
 naces quàm boni haberi, errare ma-

A 4 lunt

A4^v

EPISTOLA

lunt quàm corrigi: nam ne iudices ali-
quos, atque (vt ipfis videtur) mino-
rum quafi ordinum cenfores admit-
tant, iure regio vtuntur, noſtramque
cum ludibrio nimis exquifitæ diligen-
tiæ, ac inutilis curioſitatis, illiberali-
ter atque iniuſtè damnant ſententiam.
Atqui in conatu vtili & præclaro, ad
iſtos nequaquam reſpiciendum eſt:
ſed cogitandum de re ipſa, quàm ne-
ceſſaria in ſtudijs ſit, & quanta cum
laude coniuncta. Nec reprimere for-
tem animum atque erectum debet, illa
Cyclopica eruditionis, humanitatis
atque ordinis contemptio: quæ qui-
dem ita indies inualeſcit, vt homini-
bus literatis non modò dignitas, ſed
ne fructus omnino laborum moleſtiſ-
ſimorum ſit expectandus. Theodo-
rum Gazam, hoſpitem doctiſſimum,
& de philoſophia veteri literisque opti-
mè meritum, Italia egere paſſa eſt: &
Cæſarium, Sturnum, Plateanum, iam
ſenes, & à copioſis diſcipulis & à cui-
tatibus florentibus ali non potuiſſe,
nos

A5^r

DEDICATORIA.

nos meminimus. Romanorum anti-
 qua virtus & frugalitas cùm in super-
 biam luxuriamque mutata effret, multi
 in extruendis balneis, gestationibus,
 cœnationibus: tum vt conditores lau-
 tos, elegantes fstructores, coquos de-
 nique peritos haberent, ampla profu-
 derunt patrimonia. sed iidem in do-
 cendis infituendisque liberis, & in con-
 ducendis idoneis magistris, turpissi-
 mè negligentés, & perniciosissimè aua-
 ri erant. de qua re, ne quem ipse accu-
 sem, Satyricum audiamus:

Balnea fexcentis, & pluris porticus, in qua
 Gestetur dominus, quoties pluit: ane ferenū
 Expectet, fpargatque luto iumenta recenti?
 Hic potius: namque hic mundæ nitet vngula
 mulœ:

Parte alia longis Numidarū fulta columnis
 Surgat, & atgentem rapiat cœnatio folem.
 Quanticung domus: veniet, qui fercula
 doctè

Componit: veniet, qui pulmentaria condit.
 Hos inter fumptus, felfertia Quintiliano,
 Vt multum, duo fufficient. res nulla minoris

A 5 Conftabit

A5^v

EPISTOLA

Confutabit patri, quam filius. –

Verùm precio tam vili cùm doce-
ret vigilans & eximius præceptor, for-
tasse & voluntas erga eum prolixior,
& ocium honoratius, & maior quies
ei in opulentorum familijs fuit. Mi-
nimè quidem. nam grauiores querelas
idem poeta cum iusta indignatione cu-
mulat. Præterquam enim quòd im-
par laboribus merces datur, de eadem
suam adhuc partem detrahit feruus
atriensis: nec reliquam prius nume-
rat, quàm iussus à tribuno ærario id
facere cogatur: nihil reputans antelu-
canas doctoris operas, quibus ne que-
sitosi quidem fordidiq; artifices plu-
ribus exercentur: nihil cotidianas mo-
lestias, quarum in puerorum frequen-
tia plurimæ sine intermissione, maxi-
mo cum tædio sunt deuorandæ. Acce-
dunt ad hæc improbissima onera, &
quasi exactiones quædam operarum,
quæ cum odio & importunitate mo-
do in doctrina, modò in disciplina, in
totius

A6^r

DEDICATORIA.

totius denique vitæ cura, imponi &
requiri à parentibus folent. fic enim
Poëta pergit:

Sed vos fauas imponite leges,
Vt præceptori verborum regula confitet:
Vt legat hiftorias, auctores nouerit omnes,
Tanquam vngues digitosque fuos: vt fortè ro
gatus
Cùm petit aut Thermas, aut Pauli balnea,
dicat
Nutricem Anchifæ, nomen patriamque no-
uercæ
Anchemoli: dicat quot Aceftes vixerit an-
nos.
Exigite vt mores teneros ceu pollice ducat,
Vt fi quis cera vultum facit: exigite vt fit
Et pater ipfius coetus.

Itaque literarum neglectio, & ho-
minum ingratitude, quamuis omni-
bus temporibus magna, deprauatis
pænè intolerabilis extiterit: non ideo
tamen doctrinam virtutemque vulgi
ac turbæ iudicio, debemus contemne-
re: nec opinionibus indoctorum, aut
ingra-

A6^v

EPISTOLA

ingratorum moribus difcedere ab of-
ficio, aut remittere impetum bene
merendi de plurimis. Primùm enim
rectè factorum confcientia, & fun-
ctionis honeftiffimæ recordatio, præ-
mium fingulare & pulcherrimum eft:
deinde ipfe Deus illos, quibus quafi
incunabula fuæ commiffit Ecclefiaë,
egere non patietur, cuius in te nuper
exemplum nobis optatiffimum pro-
pofuit. Hæc & contra corrupta
multorum iudicia, pro literis verè ac
liberè: & contra contemptum earum,
modeftiffimè dicta, etiamfi aliena
nonnihil ab inftituto fuerint, libenter
arripui, apud te vt exponerem, tibi que
fimul hos libellos pueriles ex Plauti
Terentijque fcriptis collectos, offer-
rem, Matthia compater, non vt rem
meritis in me tuis parem, aut iudicio
dignam, fed vt tibi à me difcedenti,
promiffum munufculum. Immor-
tales autem Ioachimo Camerario, vi-
ro & doctrina multiplici, & fummis
virtutibus clariffimo, pro fingulari
induftria

A7^r

DEDICATORIA.

indulgentia atque eximio studio gratias debemus: qui nunc Plautinas fabulas nuper restituit, tanta felicitate, ut unus illius diligentiae in emendando plus, quam caeterorum omnium laboribus in commentando,tribuendum videatur. Placuit Publij Syri Mimographi versiculos, cum alijs quibusdam in unum collectis sententias, ex poetis Latinis, & quibusdam Graecis in linguam Latinam translatis, ad finem adijcere, cum venustatis gratia, tum breuitatis: quae & puerorum ingenijs conueniens, & accommodata memoriae est, & doctissimo cuique usitata ac propria. Versiculi ut minore negotio intelligantur Erasmi Roterodami scholia ad Mimos addidimus: ad reliquas sententias, nostra. idque eam potissimum ob causam, ut auctorum nomina ne reticerentur: & ut Publij sententiae in exemplaribus duobus antiquis a me inuentae, suo pariter loco infererentur. Quod si in bibliothecam tuam haec recipienda censebis,

A7^v

EPIST. DEDIC.

lebis, gaudebo alijs prodeffe hanc
operam: fin aliter videbitur tibi, de
tua fententia iudicium mutabo me-
um. Deus faciat, vt fimus falutaria
membra Ecclefiaē, & ad honefta ftu-
dia colenda & propaganda tranquil-
litate Reipublicaē largiatur. Vale
feliciter. Mifenæ Hermunduro-
rum, è ludo illuftri: Natali-
bus Tertijs, Anno
Chrifti,
M. D. LVIII.

Optimo

A8^r

OPT. ET DOCTIS-
SIMO VIRO GEORGIO
FABRICIO, LVDI ILLVSTRIS
Magiftro Mifenæ, Typo-
graphus,

S. D.

ACCEPI LIRELLVM IAM TVVM,
id eft, opera ftudij & diligentia tuæ
elaboratum, partim vt plenior & ornatior,
partim vt melior & emendatior exire po-
fit in manus pueritiæ, à qua iampridem te-
ritur cum magna vtilitate. Etfi autem
hæc parua videntur, comparantur enim
ætati non magnæ: & id quod diuinitus ple-
runque fieri perhibetur, hîc quoque ferua-
tur, vt parua concilientur paruis. Tamen
qui cogitare voluerit, is reperiet effe per-
magna, non fpecie illa quidem, neque mole,
fed effectione atque vi. Id quod docet effe
proprium Ariftoteles, initiorum & caufa-
rum. Sunt autem profectò ftudia pueri-
tiæ fundamenta quædam, non modò eru-
ditionis doctrinæ & artium, fed omnis hu-
manitatis in vita, & prudentiæ, in re tam
publica, quàm priuata adminiftranda. De
quo fi quis dubitat, is respiciat ad ea tem-
pora & loca, quibus neglecta effet infitu-
tio liberalis, & difciplinæ cultodia: cumque
in bar-

A8^v

EPISTOLA.

in barbaria alpexerit diuina & humana
 confufa, & mores feros, & iuris euerfio-
 nem, credat, fibique perfuaderi finat, ingens
 malum effe & grauifsimam pœnam ab ira-
 to Deo inflictam hominum peccatis, ftul-
 ticiam & immanitatem, quæ ignoratio-
 nem bonarum artium femper comitatur.
 Conftituto autem hoc, quòd pueritia lite-
 ris quali imbuenda fit ad fpem fapientiæ
 & virtutis: nimirum etiam huius operis
 quali extractio requiret curam & attenti-
 onem, vt vera ratione perficiatur. Erunt
 enim profectò iam hæ aggreffiones & ex-
 ordia ifta caufæ quædam principes, illo-
 rum bonorum confequendorum & malo-
 rum vitandorum, quæ paulò antè often-
 dimus. Ago tibi igitur, Fabrici, gratias
 communiter omnium fcholarum nomine,
 cùm tu quali fœcundifs. agri fructus tu-
 am inquam tuis difcipulis nauatam ope-
 ram, laboresque proprios illuftris ludi ve-
 ftri, benignè confers & attribuis alijs quo-
 que tam noftratibus quàm externis, qui-
 cunque Mufas, id eft, eruditionem litera-
 rum & optimarum artium, qui pudorem
 & honeftatem & decus colunt ac fequun-
 tur. In quo fæpe admiror & fufpicio bo-
 nitatem naturæ & ingenij tui, qui in hu-
 ius feculi peruerfitate fumma, vero tamen
 iudicio

B1^r

EPISTOLA.

iudicio status, non esse humilem neque contemnendam curationem studiorum & disciplinæ puerilis: & hanc sententiam confidentissima voluntate sequens tueris, contra rationes plurimorum qui hanc ipsam vel planè nihili, vel certè parui pendunt. Ac gratias quidem agent tibi mecum omnes, quibus & pietas erga Deū, & inter homines societas cordi est: præmia autem consilij ac curis his & lucubrationibus tuis, rependet ipse primùm Deus, deinde tua virtus, & aliquorum fortasse etiam memoria. Quod ad me attinet, in libelli istius expressione eam dedimus operam diligentis & assiduitatis, ut hoc confidam me confectū esse, ne poeniteat te opinionis de me tuæ, neque illa te frustratum esse queri possis. Sed de hoc aliorū, & tua potissimum, existimatio esse debet. Peto autē à tua singulari pietate & virtute, ut deinceps quoque studij & industriæ similes fructus similiter ad quamplurimos peruenire patiaris. In qua parte si amplius tibi mea quasi exhortationis opera inferuire possent, & hac utendū esse putaueris, erit hoc mihi gratissimum: & lætabor, hunc mihi à te honorem habitum esse: & annitar, ut executionis euentus tuæ expectationi vel per omnia, vel faltem magna ex parte respondeat. Vale, Lipsiæ, III. Cal. Decem. M. D. LIX.

B1^v

PVERIS STVDIOSIS.

In Plautinis numeris annotandis fecuti
 fumus exemplum viri doctissimi Ioachimi
 Camerarij, quod excudit Bafileæ Herua-
 gius: in Terentianis noltrum, quod edidit
 Argentorati Rihelius. Comœdiarum no-
 mina primis tantùm literis sunt fignata,
 hoc modo:

PLAVTI.

Amph.	Amphitryone.
Afin.	Afinaria.
Aul.	Aulularia.
Bacch.	Bacchidibus.
Cap.	Captiuus.
Caſ.	Cafina.
Cift.	Ciftellaria.
Cur.	Curculione.
Epid.	Epidico.
Men.	Menæchmis.
Mer.	Mercatore.
Mil.	Milite.
Moft.	Moftellaria.
Per.	Perfa.
Pœ.	Pœnulo.
Pfeud.	Pfeudolo.
Rud.	Rudente.

Sti.